

Leonardo Bruni hat Aristoteles' *Nikomachische Ethik* neu ins Lateinische übersetzt und im Vorwort zu seiner Übersetzung die alte Übersetzung getadelt. Dafür ist er daraufhin selbst angegriffen worden. Im Traktat *De interpretatione recta* führt er aus, was er an der Übersetzung seines Vorgängers kritisiert (mit vielen Beispielen), und er legt grundsätzliche Gedanken zum Übersetzen dar.

Auszüge aus **Leonardo Bruni, De interpretatione recta** (1424/1426)

- (§2) ... cum viderem eos libros in greco plenos elegantie, plenos suavitatis, plenos cuiusdam decoris, dolebam profecto [...] tanta traductionis fece coinquinatos ac deturpatos eosdem libros in latino videre.
- (§5) Dico ergo omnem interpretationis vim in eo consistere, ut, quod in altera lingua scriptum sit, id in alteram recte traducatur. Recte autem id facere nemo potest, qui non multam ac magnam habeat utriusque lingue peritiam. Nec id quidem satis. Multi enim ad intelligendum idonei, ad explicandum tamen non idonei sunt. Quemadmodum de pictura multi recte iudicant, qui ipsi pingere non valent, et musicam artem multi intelligunt, qui ipsi sunt ad canendum inepti.
- (§6) Magna res igitur ac difficilis est interpretatio recta. Primum enim notitia habenda est illius lingue, de qua transfers, nec ea parva neque vulgaris, sed magna et trita et accurata et multa ac diuturna philosophorum et oratorum et poetarum et ceterorum scriptorum omnium lectione quesita. Nemo enim, qui hos non legerit, evolverit, versarit undique atque tenuerit, vim significataque verborum intelligere potest, presertim cum Aristoteles ipse et Plato summi, ut ita dixerim, magistri litterarum fuerint ac usi sint elegantissimo scribendi genere veterum poetarum et oratorum et historicorum dictis sententiisque referto, et incidant frequenter tropi figureque loquendi, que aliud ex verbis, aliud ex consuetudine preiudicata significant.
- (§10) [...] Sit igitur prima interpretis cura linguam illam, de qua sumit, peritissime scire, quod sine multiplici et varia ac accurata lectione omnis generis scriptorum numquam assequatur.
- (§11) Deinde linguam eam, ad quam traducere vult, sic teneat, ut quodammodo in ea dominetur et in sua totam habeat potestate; ut, cum verbum verbo reddendum fuerit, non mendicet illud aut mutuo sumat aut in greco relinquat ob ignorantiam latini sermonis; vim ac naturam verborum subtiliter norit, ne *modicum* pro *parvo*, ne *iuventutem* pro *iuventa*, ne *fortitudinem* pro *robore*, ne *bellum* pro *prelio*, ne *urbem* pro *civitate* dicat. [...] [...] Consuetudinis vero figurarumque loquendi, quibus optimi scriptores utuntur, nequaquam sit ignarus; quos imitetur et ipse scribens, fugiatque et verborum et orationis novitatem, presertim ineptam et barbaram.

(§12) [...] Cum enim in optimo quoque scriptore, et presertim in Platonis Aristotelisque libris, et doctrina rerum sit et scribendi ornatus, ille demum probatus erit interpres, qui utrumque servabit.

(§13) Denique interpretis vitia sunt: si aut male capit, quod transferendum est, aut male reddat; aut si id, quod apte concinneque dictum sit a primo auctore, ipse ita convertat, ut ineptum et inconcinnum et dissipatum efficiatur. [...] [...] Ut enim ii, qui ad exemplum picture picturam aliam pingunt, figuram et statum et ingressum et totius corporis formam inde assumunt nec, quid ipsi facerent, sed, quid alter ille fecerit, meditantur: sic in traductionibus interpres quidem optimus sese in primum scribendi auctorem tota mente et animo et voluntate convertet et quodammodo transformabit eiusque orationis figuram, statum, ingressum coloremque et lineamenta cuncta exprimere meditabitur.

[...]

(§29) Dissipata namque et inconcinna traductio omnem protinus laudem et gratiam primi auctoris exterminat. Ex quo scelus quodammodo inexpiabile censendum est hominem non plane doctum et elegantem ad transferendum accedere.

[...]

(§32) Quis hanc interpretationem ac non potius delirationem ac barbariem vocitabit?

(§45) [...] Est enim plena interpretatione eius talium ac maiorum absurditatum et delirationum, per quas omnis intellectus et claritas illorum librorum miserabiliter transformatur fitque ii libri ex suavibus asperi, ex formosis deformes, ex elegantibus intricati, ex sonoris absoni et pro palestra et oleo lacrimabilem suscipiunt rusticitatem: ut, si quis apud inferos sensus sit nostrarum, indignetur et doleat Aristoteles libros suos ab imperitis hominibus ita lacerari, ac suos esse neget, quos isti transtulerunt, ac suum illis nomen inscribi molestissime ferat. Hec igitur ego tunc reprehendi et nuc etiam reprehendo.

Literatur zur Einführung

- The Humanism of Leonardo Bruni. Selected Texts; Translations and Introductions by G. Griffiths, J. Hankins, D. Thompson, Binghamton, NY 1987. [Z 81.1378-46]
- Paul Botley, Latin Translation in the Renaissance, Cambridge 2004. [2005.40345]
(zu Bruni: p.5-62)
- Leonardo Bruni, Sulla perfetta traduzione, a cura di Paolo Viti, Neapel 2004. [2004.37575]
(Lat. Text, ital. Übersetzung; Einleitung; Kommentar)
- Helene Harth, Leonardo Brunis Selbstverständnis als Übersetzer, Medioevo e Rinascimento 1, 2987, 41-63
- Peter Thiermann, Die orationes Homeri des Leonardo Bruni Arretino. Kritische Edition der lateinischen und kastilianischen Übersetzung mit Prolegomena und Kommentar, Leiden u.a. 1993. [93.41517]